



Die 25 Octobris  
**B.M.V. REGINÆ PALESTINÆ**  
SEU TERRÆ SANCTÆ  
Patrona Principalis Dioecesis Patriarchalis  
Sollemnitas

*Ant. ad introitum*

Ps 44, 10

**A**stitit Regína a dextris tuis, in vestíto deauráto, circúmdata varietáte.

*vel*

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Reginæ: de cuius sollemnitáte gaudent Angeli et colláudant Filium Dei. Allelúa.

*Collecta*

Deus, qui admirábili providéntia cuncta dispónis, te súpplices exorámus: ut sanctam Palestínæ terram, in qua Unigénitus tuus sacra Redemptiónis mystéria ineffábili caritáte perfécit; intercedénte Beáta Vírgine María, Palestínæ Regína, ab ómnibus adversitatibus defénsam, in sancta professióne maiestáti tuæ dignánter servíre concédas. Per Dóminum.

LECTIO PRIMA

*«Erant perseverantes in oratione cum Maria, Matre Iesu»*

Léctio Actuum Apostolorum

cf. 1, 12-14 2, 1-

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, revérsi sunt Apóstoli in Ierúsalem a monte qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt ubi manébant, et Petrus et Ioánnes et Iacóbus et Andreas, Philíppus et Thomas, Bartholomaéus et Matthæus, Iacóbus Alphæi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi. Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María Matre Iesu.

PSALMUS RESPONSORIUS Mac 6, 14-15. Sir 45,14. Cant 5, 1 (R: Lc 1, 48)

R/. Beátam me dicent omnes generatiónes.

- 1 Præpósuit eam Dóminus super univérsum regnum suum, et dedit ei diadéma, ut filium suum nutríret et regnáret. R/
- 2 Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. R/
- 3 Veni Regína nostra, veni Dómina, in hortum tuum. Odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata. R/

LECTIO SECUNDA

*«Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius»*

Léctio libri Apocalypsis beáti Ioánnis Apóstoli 11, 19; 12, 1.3-6.10  
In diébus illis:

Apértum est Templum Dei in cælo, et visa est Arca Testaménti eius in Templo eius.

Et signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et super caput eius coróna stellárum duódecim.

Et visum est áliud signum in cælo, et ecce Draco rufus magnus, habens cápita septem et córnua decem et super cápita sua septem diadémata, et cauda eius trahit tértiam partem stellárum cæli et misit eas in terram. Et Draco stetit ante Mulíerem quæ erat paritúra, ut cum peperísset Fílium eius devoráret.

Et péperit Fílium, másculum, qui rectúrus est omnes gentes in virga férrea; et raptus est Fílius eius ad Deum et ad thronum eius. Et Múlier fugit in desértum, ubi habet locum parátum a Deo.

Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem:

«Nunc facta est salus et virtus et Regnum Dei nostri et potéstas Christi eius».

Verbum Dómini.

ALLELUIA

R. Alleluia      V. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se; et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam.  
R. Alleluia.

Iudith 13, 17-18

EVANGELIUM

«*Beata quae credidit, quoniam perficiéntur ea quae dicta sunt ei a Dómino.*»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam      1. 41-50

In illo témpore :

Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna et dixit: «Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómi-

ni mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino».

Et ait María: «Magnificat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum Nomen eius, et misericórdia eius in progénies et progénies timéntibus eum.»

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Pláceant tibi, Dómine, oblatiōnes,  
quas in beátæ Maríæ, Reginæ nostræ, sollemnitáte detúlimus,  
et sicut illi magna fecísti,  
sic nosmetípsos tibi pérfice munus æténum.  
Per Christum.

*Praefatio de Beata María Virgine: Et te in festivitate.*

*Ant. ad communionem*

Beáta Mater, et intácta Virgo, gloriósa Reginá mundi,  
intercéde pro nobis ad Dóminum.

*Post communionem*

Cibus quem súmpsimus, Dómine,  
in sollemnitáte beátæ Vírginis Maríæ,  
suum in nobis operétur efféctum,  
ut, qui terram sanguine Fílli tui consecrátam,  
a te peregrinántes incólimus,  
ad pátriam tandem perveniámus æténam.  
Qui vivit.